


scrupul. XXXIII. Sed quoniam $EF S$, inuentus est partium
 X . scrupul. XIX, reliquus qui sub $F S B$, partium CIII. scrupu-
 pul VII. erit in triangulo $EF S$ datorum angulorum ratio la-
 terum data, $F B$ ad $B S$, sicut 9698 ad 1791, quarum igitur
 est $F B$, 10373, talium erit $B S$, 1916, quarum etiam est $B D$
 10000. Ptolemæus autem inuenit $B S$, partium XI. scrupul.
 XXX, quarum quæ ex centro eccentrici est partium LX. estq;
 eadem ferè ratio eorum, quæ part. 10000. ad 1916, in quo pro-
 pterea nihil ab illo uidemur differre. Est igitur $A D C$, dimeti-
 ens, ad $R B T$ dimetientem, ut partes v. scrupul. XIII. ad u-
 nam. Similiter $A D$ ad $B S$, siue ad $R B$, ut partes v. scrupul.
 XIII. secund. IX ad unum, sic erit $D B$ scrupul. primorum XXI.
 secundorum XXIX. & $B F$ scrupul. primorum VII. secundo-
 rum X. Tota igitur $A D E$ minus $B F$ existente apogæo Ioue e-
 rit ad semidiametrum orbis terræ, ut part. v. scrupul. pri-
 ma XXVII. secunda XXIX. ad unum, & reliqua $B C$ unâ cum
 $B F$ in perigæo, ut part. III. scrupul. prima LVIII. secunda
 XLIX. ac in medijs locis pro ut conuenit, quibus habetur
 quòd Iupiter apogæus maximam commutationem facit par-
 tium X. scrupul. XXXV. Perigæus autem partium XI. scrup.
 XXXV. Estq; inter eas differentia gradus unus. Proinde & Io-
 uis motus æquales unâ cum apparentibus sunt demonstrati.

De stella Martis. Caput XV.


 Vnc Martis sunt nobis inspiciendæ reuolutio-
 nes, assumptis tribus illius extremæ noctis fulsi-
 onibus antiquis, quibus etiam illi coniungamus
 mobilitatis terrenæ antiquitatē. Ex eis igitur, quas
 prodidit Ptolemæus, prima erat anno XV Adriani, die XXVI.
 mensis Tybi Ægyptiorū qnti, post mediū noctis sequētis, una
 hora æquinoctiali, aitq; eā fuisse in XXI. part. Geminorū, sed ad
 fixarū sphaerā stellarū cōparatiōe, erat in pt. LXXIII. scrup. XX.
R iij Secundam